

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.  
**0304**

**0302**

**0308**

**0298**

**0313**

**0293**

**0353**

**0253**

**0403**

**0203**

**0803**

**Ende**

**Anfang**

291

visa civitate parumper consolati fuissent pro eo, quia in ea omnes fideles erant, a quibus consolationem accipere ex eorum debita compassione sperabant, et jam credebat manus Saracenorum evasisse: in sacrilegos et ipsis Sarracenis deteriores inciderunt. Nam comes Tripolitanus, Raymundus, occultus a fide apostata, sicut supra folio 179. diximus, cum suis satellitibus, filiis iniquitatis, migrantibus occurrent, qui iam ipsis compati debuerant tamquam fratribus, illos ut crudelis hostis invasit, nam quidquid secum ex eorum substantia detulerant, et illud, quod ipsi Sarraceni humanitatis gratia dimiserant, violenter ab eis abstulit, multis conviciis irrogatis. In tanta autem calamitate constituti, multi, quia iam nauclerum habere non poterant nec redire possent, cum Sarracenis manserunt, contra dictum superne; multi fidem abnegaverunt; multi inedia consumti perierunt; multi prae dolore se necaverunt. De quadam etiam muliere legitur, quod in Jerusalem inclita et dives fuerat, et cum aliis Latinis de Jerusalem abscesserat, et filium suum parvulum in humeris usque ad mare juxta Tripolim portaverat transducendum; sed cum ibi ab illis malis Christianis totaliter expoliata esset bonis suis, nec ad nutriendum filium (B) quidquam haberet, furore foemineo acta proprium filium in mare projecta.

Cum ergo Christiani omnes de Jerusalem emigrassent, ingressi sunt Saraceni civitatem sanctam, et in improperium et opprobrium nominis christiani in ipsis ecclesiis stabularerunt jumenta, turpia et nefanda operantes ibidem et sacra templa foedantes, et imagines omnes Dei et Sanctorum ab ipsis deleverunt inventoque crucifixi Domini nostri simulacro per derisionem in publicum vicum portaverunt, sputis et saxis petito cum omni foeditate polluerunt. Insuper sacras virgines et matronas, quae ex nimia spe in confidentia adjutorii coelestis reclusae manserant, eduxerunt stuprandas et adolescentulas tradiderunt prostituendas. Contigit autem circa hoc memorabile factum, quod recitatum est supra fol. 230., quamvis quidam dicant, esse factum in ultima captione civitatis Acconensis.

In ipsa autem furia effractis vectibus et valvis ecclesiae dominicae resurrectionis ingressi sunt et altaria profanaverunt

19 \*